



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. XXXI. De S. Gregorio Papa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

dux, amicus sponsi, sponsæ paranympus, cleri ordina-  
tor, pastor plebium, magister insipientium, confugium  
oppressorum, pauperum aduocatus, miserorum spes, tu-  
tor pupillorum, iudex viduarum, oculus cæcorum, lingua  
mutorum, baculus senum, vltor scelerum, malorum me-  
tus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyranno-  
rum, regum pater, legum moderator, canonum dispensa-  
tor, sal terræ, orbis lumen, sacerdos Altissimi, vicarius  
Christi, christus Domini, postremò Deus Pharaonis.

---

C A P. XXXI.

*De S. Gregorio Papa.*

**C**ontinuabo inceptam Episcoporum seriem, & sa-  
cerdotes aliquot magnos contra pestem Tutela-  
res patronos enumerando subijciam. Anno octin-  
gentesimo quinquagesimo sexto, Benedicti Papæ I II.  
anno 2. Tyber fluuius Romæ solito magis excrescens  
Urbem exundatione grauius vexauit. Exundationem  
secuta est pestis, quæ fluxione guttur obstruendo, citam  
mortem cunctis inferebat. Meminit illius vocatque pe-  
stem faucium Ioannes Diaconus temporis huius scriptor  
ad finem rerum gestarum S. Gregorij ita scribens, dum  
agit de signis & prodigijs quæ fieri consueuerant in  
monasterio S. Gregorij ad Cluium Scauri. Benedicti  
quoque, inquit, Pontificis tempore Lucido Ficuleno Epi-  
scopo eidem Monasterio præeminente cum pestilentia  
faucium multitudo quotidie maxima deperiret, idem  
mo.

monachus ( Joannes scilicet spiritu prophetiæ imbutus )  
 venit ad mortem . Cui desperanti beatus Gregorius in  
 somnis apparuit, dicens : Vis sanus fieri ? at ille se velle  
 respondit : & B. Gregorius : Si mihi promiseris quæ tibi  
 dixerò te fore dicturum, scito te esse sanandum ; sin ve-  
 rò, citiùs moriturum . Erat vir Dei humilis corde, &  
 quod à Deo fuerat donum prophetiæ consecutus celare  
 studebat, vt etsi ventura sciret, non diceret . Hac de  
 causa sub vitæ periculo compellat eum sanctus Grego-  
 rius . Cumque ille se dicturum tota certitudine promit-  
 teret, audiuit : Ita denuntia Sabæ, Ioanni, Benedicto,  
 Martino, Palumbo, & Antonio Monachis, Laurentio  
 coco, Gemmo carpentario, Accepto pistori, Andrea,  
 Romano, & Leoni laicis, quoniam à crastino incipien-  
 tes, omnes dietim se moriendo subsequenter . Post quo-  
 rum discessum denuntia Lucidum Episcopum qui tenet  
 id monasterium, die septima moriturum . His dictis  
 monachum oscitare præcipiens, duos digitos in fauces  
 coniecit vulnusque discutiens, vt excrearet iniunxit .  
 Ille tussiens partem coagulati sanguinis in morem lapi-  
 dis re vera proiecit, & ab ipsis panè mortis ianuis libe-  
 ratus, eadem nocte contra spem omnium matutinalibus  
 hymnis interfuit, & mirantibus fratribus sanitatis suæ  
 modum innotuit : quos, quando & qualiter ex Mona-  
 sterij familia morituros præuiderit, indicauit ; omniaque  
 vt prædixerat, postea euenerunt . Unde huic Catalogo,  
 iure bono, re & nomine magnum hunc Pontificem ad-  
 scribimus, maximè quòd in grauissima illa pestilentia  
 ( de qua sæpè superiùs ) Romana anno quingentesimo  
 nonagesimo auertenda, maximam operam præstiterit ;  
 indicendo septiformes, totoque orbe famosas Litanias  
 ( quæ etiam Cruces nigræ dictæ sunt, eò quòd in sup-  
 pli-

Vide Ra-  
 tion, Du-  
 ranti.

plicatione Cruces præferri solitæ, nigris velis in signum luctus & pœnitentiæ tum obiectæ fuerint) in quibus per varias diuersarum personarum classes sigillatim ex diuersis assignatis Ecclesijs exeuntes procedebant seorsum Clerici, viri laici, Monachi, Ancillæ Dei, feminæ coniugatæ, pauperes & infantes ad diuinam misericordiam coadunatis precibus inuocandam. Quam religiosissimæ ceremoniæ supplicationem, religiosissima pariter Hispaniarum Infanta Princeps nostra ISABELLA CLARA EUGENIA aliquot annis continuis circa hebdomadam sanctam pia æmulatione per Reuerendissimum Mechliniensem, Bruxellis in vrbe Palatina, institui curauit, in qua viros principes, Duces, aliosque magnates aspero cilicio ad carnem indutos, graui trabe humeros onustos ac similibus publicæ pœnitentiæ instrumentis magna omnium ædificatione conspiciere licuit, non sine præsentissimo totius patriæ emolumento, & opitulatione sicut est dies hæc. Sic perge ô Deo gratissima, & ideò gratissima, quia eidem deuotissima Magna Hispaniarum soboles, quæ magis supplicibus ad Deum precibus quàm sanguinolentam incædem armatis dexteris hostes tuos debellare didicisti, parcens hostium, & cum his vnà tibi subditorum innocentium sanguini.

Testis mihi & in æternum toti Orbi, qui pro ea commotus fuit, vna Breda erit, quam vt obsessam liberarent rebelles tui, cœlum terramque quin & ipsum Acheronta, flectere dum superos nequeunt, mouerunt. animo tu semper ægra in hoc necessitatis verè magnæ articulo, ac sollicitudine semper suspensa de Catholici regis exercitu, deque vnus vrbis salute fuisti, vtque diuisam cum Ducibus tuis militiam haberes, dum illi ferro urbem

hem cingunt, tu precibus non vnum sed multiplicem Holofernem velut altera Iudith subegisti, & vnà cum illis urbem fame, hæresi, obsidione liberaſti, ſincerae religioni, priſtinæ pietati, & veræ libertati reſtituiſti, aded vt tuæ pietati prima huius victoriæ laus omnium calculo debeatur, & vincere non vinci tam ſanctis moribus principem oportuerit, quæ ſuo exemplo ad idem pietatis certamen omnes ſuos ſubditos attraxit; ſi tamen trahi potuerint ſponte ad hanc prodromam currentes.

Quid vetat aut quis vetabit niſi vecors fuerit adeoque impius, ſi hîc illud Pſalmiſtæ adaptauero: Niſi quia „ Dominus erat in nobis, dicat nunc Brabantia, cum exur- „ gerent homines in nos fortè viuos deglutiffent nos, cum „ iraceretur furor eorum ſuper nos. Benedictus Dominus „ qui non dedit nos in captionem dentibus eorum, nam „ adiutorium noſtrum in nomine Domini. „

Audi igitur poſteritas & magnis litteris rem magnam ſcribe:

*Oratione IſabeLLæ HISPANIARVM Infante  
eXpVgnata BreDa eſt.*

Cuius orationibus Illuſtriſſimus Marchio Spinola veluti nouus Barach victorem gladium ſuum adiunxit, ſicque duplici armaturâ glorioſam victoriam obtinuit, de qua illi Apoſtolico teſtimonio pulchrè gratulatus eſt Urbanus V I I I. Romanus hodie Pontifex.

## V R B A N V S P P . V I I I .

**D**ilecte fili, nobilis Vir, Salutem & Apostolicam benedictionem. Triumphat cœlum in victoriis Nobilitatis Tuæ, cuius palmæ sanguine hæreticorum nutriuntur, & Catholicæ religionis caput coronant. **B R E D A** expugnata monumentum erit nationibus atque ætatibus vniuersis bellicæ virtutis Tuę. Discet orbis terrarū hoc etiam tempore in Italiâ nasci eos duces, in quibus Cæsarum & Scipionum gloria reflorescat. Domuisti hostes pollentes opibus, feruentes irâ, & contemptores mortis. Flumina oclusis ostiis iussa sunt cursum mutare, & agmina indignantium aquarum conuertere in castra Nobilitatis Tuæ. Perdomuit omnia fauor cœli & fortitudinis constantia. Certè quam Austriacæ potentiaę urbem præripuerat proditio metuens lucis, & in dolosis latebris delitescens, eam per Nobilitatē Tuam recuperavit virtus & ingenium. Ibit in secula Bredanæ obsidionis memoria, atque ab ea artes bellandi & exempla fortitudinis discent duces posteritatis. Inter præsentis Italiæ tumultus & Principum dissidentium procellas è **B R E D A** recepta, adeò lætus hic diuinæ clementiæ radius Pontificiis sollicitudinibus

nibus affulsit, vt Te tanti auctore boni Apostolicarum litterarum testimonio ornare decreuimus. Patrocinium nostrum iterum pollicentes Nobilitati Tuę, cui diuturnę vitę robur precamur, & Apostolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romę, apud S. M A R I A M Maiorem, sub annulo piscatoris, die 1 x. Augusti, M. D C. X X V. Pontificatus nostri anno II.

*Sign. Ioannes Chianpolius.*

In dorso scriptum erat :

**DILECTO FILIO, NOBILI VIRO,  
MARCHIONI SPINOLAE.**

Sed ad Gregorium nostrum redeamus qui in tempore concitatae iracundię factus est reconciliatio, cum auerterit ipse diuinam indignationem ( verba Baronij sunt) à populo. Huius rei gratia in Litanijis quę annua celebritate in Ecclesia antiquo ritu recurrūt, pro omnibus auertendis malis, idem preces indixit cum gratiarum actione pro tanto accepto diuinitus beneficio: Solemnitas, inquit, annuę deuotionis nos filij dilectissimi admonet vt Litaniam quę Maior ab omnibus appellatur sollicitis ac deuotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare, per quam à nostris excessibus eius misericordię supplicantes purgari aliquatenus mereamur. Considerare enim nos conuenit dilectissimi quàm varijs continuisque calamitatibus pro nostris culpis & offensionibus affligamur, & qualiter coelestis pietatis nobis subinde medicina subueniat. Sexta igitur feria veniente à Titulo B. Laurentij martyris, qui appellatur Lúcinę, egre-

egredientes ad B. Petrum Apostolorum principem Domino supplicantes cum hymnis, & canticis spiritualibus properemus, vt ibidem sacra myſteria celebrantes tam de antiquioribus quàm de præſentibus beneficijs pietati eius in quantum poſſumus referre gratias mereamur. Et certè non ſine cauſa tam pijs operibus incumbendum eſſe monebat pius Pontifex; tanta enim mortalitas erat vt vnus horæ ſpatio ( ſicuti me ſuperius dixiſſe memini) dum voces ſupplicationis plebs ad Dominum emittebat, octoginta homines ad terram corruerint & ſpiritum exhalarint. Sed non deſtitit tamen ſacerdos tantus prædicare populo ne ab oratione ceſſarent. Gratiffimum verò Lectori fore exiſtimo ſi hîc Collationem eius quam tunc habuit inferuero, maximè quòd non adeò proluxa, ſed pietati plena ſit. Eſt autem iſta quæ ſequitur. Oportet fratres cariffimi vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus ſaltem præſentia & experta timeamus. Conuerſionis nobis aditum dolor aperiat; & cordis noſtri duritiam ipſa iam quam patimur, poena diſſoluat. Vt enim Propheta teſte prædictum eſt: Peruenit gladius vſque ad animam. Ecce enim cuncta plebs coeleſtis ire mucrone percutitur, & repentina ſinguli cæde vaſtantur, nec languor mortem præuenit, ſed languoris moras, vt cernitis, mors præcurrit. Percuſſus quiſque antè rapitur quàm ad lamenta poenitentię conuertatur. Penſate ergo qualis ad conſpectum diſtricti iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quippe non ex parte ſubtrahuntur, ſed pariter corruunt, domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aſpiciunt, & ſui eos ad interitum heredes præcedunt. Vnuſquiſque ergo noſtrùm ad poenitentię lamenta confugiat dum flere ante percuſſionem vacat. Reuocemus ante oculos

Vide Baron  
anno  
590, n. 13.

Jerem. 4.

»



mentis quidquid errando commisimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Preueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta admonet, Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominū. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studiū cum merito bonę operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam qui per Prophetam clamat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & vivat. Veter-nos namque Niniuitarum culpas triduana poenitentia absterfit, & conuersus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit.

Leuemus igitur corda & præsumamus nos jã percepisse quod petimus: citius ad precē Iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergò tãtę animaduersionis gladio, nos importunis fletibus insistamus: ea namq; quę hominibus ingrata esse importunitas solet, iudici veritatis placet; quia pius & misericors Deus à se vult precibus veniã exigi, qui quantū meremur nō vult irasci. Hinc etenim per Psalmistã dicitur: *Inuoca me in die tribulationis tuę, & eripiã te, & magnificabis me.* Ipse ergo sibi testis est quia inuocãtib; misereri desiderat, qui monet vt inuocetur. Proinde fratres carissimi contrito corde, & correctis operibus crastina die, primo diluculo ad septiformem Litaniã juxta distributionē inferiùs designatã, deuota ad lacrymas mente veniamus. Nullus vestrū ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotiū agere præsumat, quatenus ad sanctę Dei genitricis Domini Ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala quę fecimus deploremus, vt districtus Iudex dum culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia propositę damnationis parcat. Hactenus sermo idemq; dictus in Ecclesia S. Sabine in Auentino, & scriptus affixus Ecclesię Albo, cui Litaniarum Ordo subscriptus habetur, quem tu vide.

Z

Fructus

Fructus autem qui consecutus est, supra recensuimus. Angelus enim stans in mole Hadriani (vbi etiam num eius locus & imago visitur, indeque moles hæc vocatur Castellum S. Angeli) euaginatam gladium quo ciues feriebat visus est in vaginam recondere, ac quacumque in processione inferebatur imago B. Virginis à S. Luca depicta, aer crassus, pestilens & flammeus videbatur dissipari, purgari & serenari: & cessauit quassatio à Domino & plaga in populo.

---

CAP. XXXII.

*De sancto Cypriano Carthaginensi Episcopo.*

**T**Hascius Cæcilius Cyprianus magnum Ecclesie Africanæ decus Carthaginensis Episcopus, ex eiusdem ciuitatis Senatore laudatissimus, etiam in hoc confessu tutelariam cathedram obtinet. Et merito; quicumque enim vitam eius à Pontio Diacono conscriptam, & ea quæ nos ex eodem huic operi inseruimus, legerit, optimo jure id factum esse probabit. Sed iuuabit audire testem multo me maiorem, ipsum Pontium, qui negotio interfuit: is inter cetera hæc ita scribit: Erupit postmodum lues dira & detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos à sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis inuasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impiè, quasi cum illa

peste